

tanta distantia nemo miretur. Et in Marte quidem atque Venere, vicinis orbi Telluris, vides quantam efficiat diuersitatem orbiculus Lunæ accensitus crassitie orbis terreni: qui tamen orbiculus vix 3. scrupula æquat, qualium orbis terræ habet 60.

Vnde colligere potes, quàm facile animaduersum fuisset, quantaque numerorum extitisset inæqualitas: si hæc contra cæli naturam tentarentur, hoc est, si Deus ipse in Creatione non ad has proportionales respexisset. Certè enim fortuitum hoc esse non potest, vt tam propinquæ sint interuallis hisce proportionales corporum: cum propter alia, tum maximè, quia idem ordo est interuallorum, quem supra rationibus optimis, corporibus ascripsi, vide Cap. 3. Nam etsi 635. à 577. discrepat nulli tamen propinquior est, atque huic ipsi.

CAPVT XV.

Correctio distantiarum & diuersitas prosthaphæreseon.

NEverò tibi, Lector amice, occasionem vllam præbeam totum hoc negocium propter leuiculam discordiam reiiciendi, monendus hinc es, quod te probè meminisse velim; Copernici intentum non in Cosmographia versari, sed in Astronomia: hoc est, vtum non nihil in veram orbium proportionem peccet, parùm ipsi curæ est: modò numeros ex obseruationibus eos constituat, qui sint ad demonstrandos motus, Planetarumque loca computanda, quantum fieri potuit, maximè apti. At si quis aptiores dare conetur, & hos Copernici numeros ita corrigat, vt nihil interea aut parùm in prosthaphæresefi turbet: id illi per Copernicum facile licebit.

Vt igitur summam denique huic negocio manum imponam, atque vt appareat, quid quantumque penes singulos Planetas in parallaxibus orbis terreni mutetur: nouum struam mundum: & cum prius inuestigata fuerit ab artificibus cuiuslibet *ἐκκεντρόπιος* ad orbis semidiametrum proportio: ideo si quid in longissima vel proxima orbis à centro mundi distantia mutabitur per interpositionem corporum; id in *ἐκκεντρόπιη* animaduertendū erit proportionaliter.

Initium